



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,  
Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Quod anima fidelis sit sanctuarium Dei, 30

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

vere terræ, à facie sublevantis manus tuæ, Domine, mirabiliter adscendisse. Vidimus vivos, morientes, & mortuos à morte surgentes: & eos, qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum, quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse, & de tenebris lucem processisse: quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regno cœlorum; filii autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores.

3. Quare autem ista omnia, nisi quia in montem illum ascenderunt, in quem primus ascendit Angelus, & descendit diabolus? Quos autem prædestinasti, ipsos & vocasti, & sanctificasti, & mundasti, ut dignum habitaculum sint tuæ majestatis: cum quibus & in quibus sint tibi delitiæ sanctæ & mundæ, in quibus tu delectaris, & lætificas juventutem eorum: habitans cum eis in memoria eorum, ut ipsi templum sanctum tuum sint, quod magnæ dignitatis, & commendatio est humanitatis nostræ.

#### C A P V T XXX.

*Quod Anima fidelis sit sanctuarium Dei.*

I. **A** Nima enim, quam creasti, non de te, sed per verbum tuum, non ex qualibet elementorum materia, sed ex nihilo; quæ quidem rationalis, intellectualis, spiritalis semper vivens, semper in motu; (quam signasti lumine vultus tui, & consecrasti virtute lavacri tui;) ita facta est capax majestatis tuæ, quod à te solo & à nullo alio possit impleri. Quando autem te habet, plenum est

est desiderium ejus; & jam nihil aliud quod desideretur exterius restat. Dum autem aliquid exterius desiderat, manifestum est quod te non habet interius; quo habito, nihil est quod ultra desideret.

2. Cum enim sis summum & omne bonum, non habet quod desideret amplius, sed possidet te omne bonum. Quod si non desiderat omne bonum, restat ut desideret aliquod quid non est omne bonum, ergo nec summum bonum: ergo nec Deum, sed potius creaturam. Cum autem creaturam desiderat, continuam famem habet; quia licet, quod desiderat de creaturis adipiscatur, vacua tamen remanet; quia nihil est, quod eam impleat, nisi tu, ad cujus imaginem est creata. Imples autem tu eos, qui nihil aliud desiderant præter te, & facis eos dignos te, sanctos, beatos, immaculatos, & amicos Dei; qui omnia reputant ut stercore, ut lucrifaciant te solum.

3. Hæc est enim beatitudo, quam homini contulisti. Hic est honor, quo eum inter omnes creaturas & super omnes honorificasti, ut sit admirabile nomen tuum in universa terra. Ecce Domine Deus meus, summe, optime, omnipotentissime, inveni locum ubi tu habitas, quia in anima, quam creasti ad imaginem & similitudinem tuam, qua te solum quarit & desiderat: quia non in illa, qua te non quarit nec desiderat.